

6555

DISPUTATIO IURIDICA

1623/4
8. 10. 11.

De
TESTAMENTIS
ORDINANDIS.

1623/4

Quam,

Deo Opt. Max. feliciter an-
nuente.

PRAESIDE

Viro Clarissimo,

DN. IOANNE Schwarzkopff
I. U. D.

13/

EXERCITII GRATIA

PUBLICÆ

defendendam proponit

IOHANNES Bößell VVolfferb.

Habebitur disputatio

In novo Iuléo

Ad diem ~~novembrii~~ **X maij**

horis matutinis.



HELMÆSTAD I,

Typis heredum **IACOBI LUCI,**

Anno clō Iōc **XXIII.**

*Præf: atq; Gratias: Dn. A
ben J. v. C. amico ac frater meo In*





V I R O

Amplmo Clarmo Consultmo

D N.

WILHELMO BÖKELIO,
I. V. D.

Illustri Potenti

Principis ac Domini, Domini

FRID-VLDARICI, DVCIS
BRVNSVICENSIVM AC LVNAE-
BVRGENSIVM IN-
CLVTI

Confiliario aulico

PARENTI MEO SVAVISSIMO

Exercitium hoc Academicum

Studiorum meorum primitias,

Ex antiqua formula

~~1744. J. Volfferby. 2.~~

offero

Iohannes Bökel. VVolfferbyt.



1744. J. Volfferby. 2.
offero





DE TESTAMENTIS.

THESIS I.

Nrisconsultorum omniumq; legislatorum curam & sollicitudinem, in testamentorum disquisitione & tractatione summoperè laborasse, ex eo satis superque constat, quod non sit alia juris nostri pars, quæ prolixius videatur tractata, ut potè quæ totos libb. 9. ff. titulos 41. lib. 6. Codicis, maximamq; lib. II. instit. Imperial. partem occuparit. Unica huius rei causa illa, ut voluntas testatoris, quæ semper libera. *l. 1. C. de S. S. Eccles.* esset manifesta *l. 26. l. hac consultissima C. de testam. l. fin. C. de Codicill.* Publicè enim interest, suprema hominum iudicia suum sortiri effectum, *l. vel negare ff. Test. quomodo aperiuntur.*

II.

Atq; illud ideò, cum, uti inquit Arnobius 2. *contra gentes*, morti vicini maxima polleamus scientiâ, ita ut & de futuris vaticinemur: depresso namq; corpore, quod animam aggravat, exitui suo proxima anima, veluti incipiens à carcere absolvi, spiritualia sincerius contemplantur & liberius: potissimum cum hæc caduca, quæ relictura est, incipit despiciere, & mentem ad futura transfert.

III.

De testamentorum igitur *solemnitatibus*, sive uti lo- Notatio.
quuntur, *forma*, hac vice acturi, initio operæ pretium du-
cimus admonere, unde nomen ejus descendat: In omni

A 2

quip-

quippè disciplina, rerum quidem potiorem, verborum
verò priorem curam esse oportere, monet Clarissimus
Goedd. *ad tit. X. de Sequestrat. poss. & fructuum*, Oldend. *cl.*
4. act. 24. Testamentum igitur ex eo appellatur, quod sit
testatio mentis *pr. 1. h. 1. Theoph. ibid.* pro cuius notatio-
nis explicatione vide Gell. *lib. 6. Noct. Attic. cap. XII.* iunct.
Vult. *ad rub. 1. h. 1. n. P. Gregor. Tholos. Syntagm. iur. lib. 42.*
cap. 2. n. 3. I V.

Origo.

Originem testamenti in genere & absolute considera-
ti quod attinet, eam iuri gentium merito adscribimus:
Cum enim nihil tam sit naturali rationi conveniens, quàm
voluntatem domini, rem suam in alium transferre vo-
lentis ratam haberi, §. 40. *I. de rev. divis.* rectè sequitur, id
quoq; quod quis disponere possit, quid post mortem
fieri velit, ex iure gentium esse, vnde tam ex sacra *Gen. 27.*
n. 27. ad Galat. 3. v. 17. quàm prophanâ historiâ *Iust. lib. 36.*
Xenoph. lib. 8. Cyripad. Flor. lib. 2. cap. ult. Diog. Laert. in
vita Arist. Theophr. Epic. ante Romanorum tempora vlti-
mas voluntates in usu fuisse constat: Adeoq; formam te-
stamenti, quæ ante jus Romanum fuit, ad idem jus genti-
um referimus.

V.

Si vero de eo loquaris testamento, quod in Rep. Rom.
frequentatum est, ejus formam iuri civili attribuendam
censemus, huiusmodi enim testandi ratio à Romanis in-
troducã, & apud eos solos in usu fuit, *l. quidam ff. de pæn.*
iunct. l. 1. C. de hered. instir. l. 2. C. de bon. poss. l. 120. de V. S. Goed.
ad l. 2. §. 1. n. 27. de V. S. & d. contrah. stip. cap. 2. concl. 1. n. 22. v-
tilitatem hujus quæstionis vide per exemplum apud *Gail.*
2. obser. 59. n. 9. Menoch. consil. 20. n. 1. & consil. 321. n. 35.

VI.

Definitio.

Definitur testamentum quod sit voluntatis nostræ iustæ
sens.

sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit l. 1. ff. de testam. Quæ definitio licet testamento minus solenni, non competat, substantiam tamen solennis testamenti explicare omnino putamus.

VII.

Iusta enim sententia, hic tam heredis institutionem caput & fundamentum totius testamenti l. 1. ff. de vulg. instit. l. 10. l. fin. ff. de iur. codicill. §. ante heredis instit. Inst. de legat. §. in primis I. de fideic. her. l. 1. ff. de hered. inst. quàm legitimam ejusdem formam sub se comprehendit. Iusta enim tum demum hæc est sententia, quando iure & benè fit. c. 19. dictum est X. de V. S. l. si vxor. ff. de adult. §. 1. Inst. de Nupr. & secundum leges: Nec subsistit dispositio quæ adversatur rationi vel legibus. l. fraternitatem X. de Sepult. l. nemo potest l. 115. v. fin. de legat. 1. vndè etiam testamentum non dicitur, nisi jure perfectum, i. 2. §. 1. ff. quemadmodum testam. aperiantur. & nihil & non ritè fieri in iure æquiparantur.

IIIX.

Posteriora definitionis verba: de eo quod quis post mortem suam fieri velit, constituunt differentiam inter voluntates vltimas testamenti & voluntates contractus. In testamētis enim variare licet, & mutare placita vsq; ad mortem. l. 4. de adim. legat. l. cum his §. air oratio ff. de donation. inter vir. & vxor. l. posteriore, quibus modis testam. infirm. Ac in contractibus nescit vox semel missa reverti, & statim fit creditor & debitor contractu inito, etsi sub conditione in tempus mortis executio differatur. l. is cui sub. de oblig. & act. §. ex conditionalis I. de v. oblig. Cum tamen heres aut hereditas non possit dici, nisi post mortem testatoris. l. 5. pro hered. l. 1. de hered. vel act. vendi. l. nihil aliud de V. S. l. heredit. de R. I. l. heres institut. de acq. hered. &c.]

A 3

Cæte

IX.

Cæterum cum, vti supra dictum, definitio hæc ad testamenta minus solennia non pertineat, nos relicta eorum explicatione, de testamento solenni: sive de solennitatibus & forma, quæ ad istiusmodi testamentum requiruntur, breviter pro ratione instituti differemus: Cætera quæ ipsam dispositionem in testamentis spectant, & instar materiæ se in syllogismo habent, sicuti sunt ea, quæ ad heredum institutionem, substitutionem, tam vulgarem quàm pupillarem, item ad doctrinam legatorum, fideicommissorum &c. cognoscendam pertinent; in aliud tempus consultò rejicientes.

X.

In omni itaq; testamento si quæramus an valeat, imprimis animadvertere debemus, monente Gajo in l. 4. ff. de testam. PRIMÒ AN IS QUI FECERIT, TESTAMENTI HABVERIT FACIIONEM. Secundo: Si habuerit, AN SECUNDVM REGVLAS IVRIS CIVILIS TESTATVS SIT.

XI.

De his, qui
testamenta
facere non
possunt.

Quod PRIMVM attinet, sciendum, testamenti factionem esse duplicem, Activam: videlicet: posse testari, & passivam, id est: posse testamento institui. *S. testamenti, de hered. qual. & differ. l. 16. de testam.* Activa autem hujus loci tantum est, quam habere dicuntur illi, qui expressè prohibiti non leguntur, arg. *l. matus 43. ff. de procurat. l. 12. ff. de iudic.*

XII.

Prohibentur autem alij ob *statum & conditionem*, alij ob *defectum iudicij*, alij ob *vitium corporis*, alij ob *delictum* quod commiserunt.

XIII.

STATVS vero & conditio cum sit triplex; *Libertas, Civitas, & Familia*, l. vlt. ff. de cap. minutis, tribus etiam modis

modis contingit, vt quis ob statum prohibeatur testa-
mentum facere.

XIV.

Primò ob defectum libertatis, Servi, l. 19. ff. de testam. e. Servi,
Illud c. voluntas 13. q. 2. nihil enim possidet servus vel sibi
acquirat, de quo disponere possit, nec suum habere potest,
l. etiam invitos, de acquir. rer. dominio. §. Item vobis Inst. per
quas pers. nob. acquir. vnde & heredem habere non potest.
l. Servus C. communia de success. Præterea servi nulla vide-
tur esse voluntas, velle enim non creditur qui obsequitur
imperio domini l. velle d. R. l.

XV.

Sub servis etiam comprehendimus eos qui ad mor- Ad mortē
tem damnati, libertatem & bona perdidit, quos vul- damnati
go servos pœna appellant, l. 8. §. fin. de testam. l. 6. §. 6 de iniust.
rupt. & irritato factō testam. Qui tamen si à sententia appel-
lent, & pendente appellatione, testamento facto, dece-
dant, testamentum est firmum, l. 13. ff. de testamentis.

XVI.

Cum vero hodiè damnati ad mortem mancant libe-
ri, & bona sua retineant, Auth. sed hodie C. de donat. int. vir.
& uxor. Auth. bona damnat. C. de bon. proscripi. Nov. 22. §. de-
portari (exceptis ijs qui ob crimen læsæ Majestatis dam-
nantur. l. 6. l. ult. ff. ad l. Iul. Mai. l. 7. C. eod. l. 5. §. 1. C. ad l. Iul.
Maieft. Aur. Bulla tit. 24. & qui hodie damnantur ad trire-
mes, illi enim iure Regio in Gallia, nisi speciali Regis per-
missu, testari non possunt, arg. l. si quando C. de inoff. testa-
mento. Arnold. Ferron ad consuetud. Burdeg. lib. 2. ad §. 15. de
testam.) non video quid obftet, quò minus illi hodie te-
stamenta facere possint.

XVII.

Ita simili ratione in damnatis ad perpetuos carceres, Damnati
ad perp.
item carceres

Excommunicati.

item excommunicatis, crimen putamus esse considerandum, ex quo poenatalis imponitur, ut si ex eo fiat publicatio bonorū, incarceratus testari non possit: si vero non publicentur, omninō possit. Vide de hac quest. inter se non convenientes. Panorm. in rubr. X. de testamentis. n. 4. Clarum, lib. 3. sent. §. testam. quest. 23. n. 1. Abb. in rubr. X. de testam. n. 3.

XIIX.

Captivi.

Eadem ratione testari prohibentur captivi, qui servi hostium sunt. l. eius qui apud ff. de testam. §. eius qui I. quibus non est perm. fac. testam. §. 17. l. de rer. divis. modo capti sint à veris hostibus, non latronibus, l. 24. ff. de captiv. & postlimin. revers. Quinam autem veri dicantur hostes, vide in d. l. 24. ff. de capt. & postl. reversis.

XIX.

Quod si quis ante captivitatem testamentum condidit, id, si captus revertatur, sive apud hostes decedat, omninō valet: si enim redeat, valet jure postliminij, si moriatur, L. Corn. illum eo momento quo capiebatur, atq; ita liberum decessisse fingit. l. 16. l. 18. ff. de capt. & postl. reversis.

XX.

Obsides.

Ad captivos pertinere quoq; videntur obsides, l. obsides ff. de testam. l. divus. de iure fisc.

XXI.

Qui de statu dubitāt.

Seruis annumerantur qui de statu suo dubitant, unde nec illi testamentum facere possunt l. 14. l. 15. ff. de testam. neq; si factum sit, heredes eorum adire hereditatem possunt, quamdiu de statu incerti sunt, l. heres institutus ff. de acq. hered. Exceptis militibus & veteranis. l. 11. in fine ff. de milit. testam. l. Aristo ff. de Codicill.

XXII.

Monachi.

Quid de Monachis dicendum? nos breviter ita statu-

tui;

tuimus: Monachum post professionem religionis & voluntariae paupertatis nihil sibi retinere, sed seipsum & omnia monasterio consecrare, modo illud capax sit successionis & immobilium (qualia hodie non sunt monasteria Capucinatorum &c.) *Auth. ingressi C. de S. S. Eccles. c. quia ingreditibus 10. q. 3.* & ideò non posse testari, cum nihil habeat *c. 2. X. de testam. c. non dicatis 12. q. 2.* imò nec velle, nec nolle, quia propriam voluntatem ejuravit *c. fin. de testam. in 6. Ante ingressum* religionis autem, licere ipsi de bonis suis liberè disponere *§. illud, auth. de monach.* id tamen quomodo procedat, & quando testamentum per ingressum religionis non rumpatur, vide apud Br. *in Auth. si qua mulier C. de S. S. Eccles. Immol. inc. 1. n. 11, de testam. Clar. lib. 3. sentent. §. testam. q. 28. n. 4. 6.*

XXIII.

Leges tamen & ingredientibus religionem & post ingressum permittunt circa partes filiorum, quos in seculo reliquerunt, voluntatem adjicere, juxta formam *Auth. si qua mulier C. de S. S. Eccles.*

XXIV.

Clericos autem, Prælatos, & beneficia Ecclesiastica ^{Clerici.} habentes ita testari posse putamus, ut de patrimonialibus, sive ea acquisiverint ante, sive post clericatum, modo non contemplatione aut ex fructibus Ecclesiæ acquisierint, disponere possint, *c. nulli 12. q. 5. c. de Syracusana dist. 28. auth. licentiam Auth. prohibitum C. de Episc. & cleric. quod & ad fructus ex beneficio collectos extendit gl. in c. presenti §. porro in vers. reservari de offic. ordin.* De beneficio autem & bonis Ecclesiasticis testari prohibentur.

XXV.

Secundo ob statum prohibentur testari, qui liberi qui ^{Deportati.} dem sunt, non tamen habent jus civitatis Romanæ, quales sunt

B

sunt



sunt deportari, seu quibus aqua & igni interdictum est, l. 8. §. 3. ff. de testam. l. 6. §. 2. ff. de iniust. rupt. & irrito facto testamento Dion. Cassius lib. 57. hist. Rom.

XXVI.

Peregrini. *Peregrinorum* testamenta olim Romæ facta, omnino non valebant. Sed tandem placuit horum testamenta secundum regulas juris condita, rata firmave esse, & abrogatæ consuetudines & privilegia locorum adversantia: poena insuper statuta in eos, qui ipsos prohibuissent testari, ut ipsi intestabiles efficerentur, & punirentur in eo, in quo deliquissent, reservatis etiam; illis decedentibus ab intestato, bonis proximis illorum, *auth. omnes C. comm. de successioneibus.*

XXVII.

Filiusfamilias. *Tertio* ob statum non possunt testamentum facere, illi, qui licet sint liberi & cives Romani, tamen suæ non sunt potestatis, sed suppositi adhuc potestati patris, sicuti est *filiusfamilias*, qui ne quidem consentiente patre rectè testatur, l. tam is §. 1. de mort. caus. don. l. senium §. fin. l. pen. C. qui testam. fac. non poss. l. qui in potestate, pr. ff. de testam. §. 1. inst. quibus non est permis. fac. testam. Ratio hæc est, quod testamenti factio sit juris publici l. 3. ff. de testam. adeoq; à privatis concedi nequeat, l. 10. publ. ff. de R. I. Sed illis tantum competat, quibus lex illud specialiter permittit, sicuti sunt patresfamilias.

XXIX.

Unde est quod *filiusfamilias*, cum in bonis castrensibus vel quasi, pro patrefamilias reputetur, de ijs quoque ad libitum disponere & testari possit, l. fin. C. de in off. testam. l. 6. C. de bon. qua liber. l. pen. l. ult. C. qui testam. fac. non poss. In bonis autem adventitijs, quorum ususfructus patri non acquiritur, sed libera administratio penes filium
res.

residet, *auth. excipitur & seq. C. de bon. qualiber* cum hu-
usmodi legis dispositio & concessio cesset, ipse testari o-
mninò non possit, *l. pen. C. qui testam. facere non poss.* Cu-
jac. *ad Nov. 117. c. 1.* Dauth. *de testam. n. 144.* Donell. *6. com-
ment. c. 5. & c. 28. in fine* Duar. *ad tit. ff. de testam. sub rubr. de
his qui test. fac. poss.* Vigl. *ad pr. l. qui test. fac. n. poss. n. 16.*
Vult. *ibid. n. 11.* VVesenb. *ibid. n. 3.* Myns. *ibid. n. 3.*

XXIX.

Et quamvis de jure Canonico, filiusfamilias cum
consensu patris, de bonis adventitijs ad pias causas quid
destinare ultima voluntate possit *c. licet de testam. in 6.* id
tamen non in testamenti formula, sed alia quadam ulti-
ma dispositione fieri posse vulgo explicat Dd. & gl. *ad d. c.
licet. in verbo : iudicare,* donatione forsitan mortis causa,
que aliàs à filiofamilias consentiente patre fieri potest *l.
tam is §. 1. de don. mort. caus.* Ex quo etiam est, quod si
in tali ultima voluntate ad pias causas à filiofamilias fa-
cta, legata reliquantur alijs personis, illa omninò non de-
beantur, nec tamen accrescant piæ causæ, sed reserventur
venientibus ab intestato. *Clar. 3. sent. §. test. q. 5. n. 8.*

XXX.

Atq; hi sunt qui ob statum prohibentur testari OB
IUDICII DEFECTVM arcentur *Primò* Impuberes *l. qua ante*
s. ff. de testam. *Secundò* Furiosi & mente capti, quâ tales, quia
nulla est eorum voluntas. Qui tamen si dilucida inter-
ualla habeant, quod tempore interstitij istius fecerint
testamentum, utiq; valebit. Sicuti nec testamentum an-
te furorem factum, superveniens furor infirmat, *l. 17. l.
20. §. 4. de testam. l. 9. C. qui testam. fac. non poss.*

Impuber
Furiosi.

XXXI.

Tertio prodigi quibus lege bonis est inderdictum, *l.*
6. de V. O. l. 18. ff. de testam. quod tamen, antequam à ma-

Prodigi.

B 2

gistra-



gistratu expressè bonis ipsi interdicitur, locum habere non putamus, per textum expressum in §. *item prodigus l. quib. non est perm. fac. testam. l. 1. l. Iulianus l. 15. l. observare ff. de curat. furiosi l. 27. pr. de V. O. §. 3. Inst. de curat. l. si curatorem C. de integr. rest. min. etiam in notoriè prodigo c. veritatis X. de dolo & contumacia Gœdd. de contra. & comm. stipul. c. 7. conclus. 10. n. 141. Vult ad §. *præterea Inst. quibus non est perm. fac. testam.**

XXXII.

Surdus.
Mutus.
Cæcus.

OB VITIUM CORPORIS seu alicujus sensus defectum *surdus, mutus*, qui videlicet nihil omninò vel audire vel eloqui potest: nisi & ipsi testamentum propria manu scribant, *l. discretis C. qui testam. fac. poss.* Cæcus quidem olim testari poterat, si credimus Paulo *recept. sentent. lib. 3. tit. 4.* Ex Imp. Iustiniani tamen constitutione non potest, nisi notarium cum 7. testibus adhibeat, vel loco notarij octavum testem, qui scribere possit: nomina heredum & dignitates eorum specialiter exprimendæ, vide omnino *l. hac consultissima 8. C. qui test. fac. poss.* Dauth. *de testam. c. qui testamentum fac. poss. n. 232. & seqq. Nov. 119. §. quia vero. Nov. Leon 69.* Quas tamen solennitates à cæco observandas necessariò non esse, si inter liberos testetur, autor est Clarus *3. sentent. §. testamentum q. 17. n. 2.*

XXXIII.

Ob crimē
famosum
damnat.
Hæretici.

OB DELICTVM commissum non possunt testari: Qui ob crimem famosum damnati, *l. 18. ff. de testam. l. un. C. de famos. libell. l. 21. ff. de testibus l. 5. §. si quis. de iniur. heretici, l. 4. auth. credentes C. de heret. & Manich.* Incestas nuptias celebrantes, *l. 6. auth. incestas C. de incestis nuptis.* Qui peregrinos testari prohibuerunt, *auth. omnes C. communia de successiōn.* ob Sodomiam damnati, *Damboud. in prax. crim. c. 98.* quorum posteriorum testamenta etiam ante

te

te admissum crimen facta, infirmantur. *Damboud d. l. n. 22.*

XXXIV.

Atq; hi sunt qui prohibentur testamenta cōdere, inter quos qui non inveniuntur, vix est ut à testamentorum factione arceantur, quales sunt *Eunuchi & Impotentes, l. 5. C. qui testam. fac. poss. Senes & ægri l. 3. C. eodem qui manum amiserunt, l. 10. ff. de testam. Socius in re communi, l. 1. C. qui testam. fac. poss.* Nos ad ulteriora progredimur.

XXXV.

Diximus SECUNDO attendendum esse VTRVM TESTAMENTVM SECUNDVM REGVLAS IURIS CIVILIS FACTVM SIT. Quæ quidem regulæ aliter in testamento solenni, aliter in testamento minus solenni se habent. Sed de quo posteriori alibi erit dicendi locus. Regulæ autem istiusmodi aliæ fuerunt de *iure veteri* aliæ autem de *iure hodierno*.

XXXVI.

Ius vetus quod attinet, eò spectant illa quæ habet Imp. *Testamenta veterum* Iust. in §. 1. *Inst. de testam.* Tria enim olim erant testamentorum genera, unum quo utebantur in pace & otio *calatis comitiis*: Aliud quo *in procinctu*, tertium quod vocabatur *per as & libram*. Quæ tamen omnia testamentorum genera in desuetudinem abierunt, videat qui cupit, *d. §. 1. & §. 2. l. h. t. Vlp. in frag. tit. 20. Conn. 8. comm. c. 1. & 9. comm. c. 1. Gell. lib. 15. noct. Attit. c. 27. Coras. lib. 5. miscell. cap. 12. Sigon. 1. antiq. cap. 12.*

XXXVII.

Hodiè alia forma ex iure civili, Prætorio, & const. Imperatorum introducta est §. *sed cum paulatim l. h. t. de* *Ius hodiernum,* qua jam videndum.

XXXIIX.

Quod antequam fiat, sciendum est, quod testamen-



Testam.
factum
coram
principe.
Apud acta.

ta ordinari possint vel *publica fide* vel *privata*. *Publica fide* muniuntur, si fiant *coram principe* vel *apud acta* : quibus duobus casibus nullæ solennitates, nulli testes desiderantur, *l. omnium 19. C. de testam. l. 27. C. eod. l. 2. §. merito §. si quis à principe ff. ne quid in loco publico*. Cum enim princeps eadem polleat autoritate, quâ olim totus populus, viL. Regiæ, olim autem si quis calatis comitiis coram toto populo testari vellet, ad id nullis solennitatibus indigeret, utpotè populo universo omnes solennitates supplere, manifestè patet cur nec hoc casu solennitatibus opus sit.

XXXIX.

Scriptum
Nuncupa-
tivum.

Privata fide muniuntur testamenta, quando privatorum auribus suprema voluntas committitur *l. 19. C. de testam.* id quod duobus modis fit, vel *per scripturam*, vel *per nuncupationem* viva voce absq; scriptura. Hoc nuncupativum, illud scriptum dicitur. Cumq; hæc duo genera sublatis ijs de quib. supra dictum, hodiè in usu sint, ita quidè de ijs agemus, ut primò utriusque *communis*, postea vero uniuscujusq; *specialia* proponamus.

XL.

Id ut eò commodius fiat, dicimus, regulas istas juris civilis, secundum quæ testamenta fieri debent, ad duo potissimum (quantum quidem formam testamentorum, utpote nostræ tractationi propriam attinet) posse revocari capita: Primò *ad testes institutioni adhibendos*, secundò *ad ipsum testandi actum*.

XLI.

De testib9

TESTES quod attinet, in ijs ratio habenda *numeri, qualitatis, & modi* quo adhibentur.

XLII.

Numerus.

Septenarium autem voluerunt esse testium numerum Romani, sive quod in hoc numero religionis quid inesse

inesse putârit vetus Romanorum superstitio, sive quod ad fraudes evitandas & testamentum firmandum ille numerus visus fuerit sufficiens. Quem numerum de testamenti forma substantiali esse, adeò ut eo omisso testamentum in foro exteriori non valeat, quantumvis de testatoris voluntate ex confessione partis, aut aliàs, abundè confit Dd. communiter concludunt, Iul. Clar. *sent. recept. lib. 3. §. testam. q. 56. n. 2.* Duar. *ad tit. ff. de testam. cap. de effect. sentent.* Bart. *in l. nemo potest l. opposit. de leg. 1.*

XLIII.

An autem tempore pestis, ubi ob summum contagionis periculum tot testium copia haberi nequit, hic testium numerus adeò præcisè observandus? quæstio quidè difficilima & quæ decisione Cæsarea finiatur digna, *res. ste. Claro d. §. testam. q. 56. n. 3.* nos tamen cum ijs, qui de solenni ac rigoroso testium numero aliquid remittendum censent, facimus, quam sententiam in Camera observari, testis est Gail. *2. obs. 118. in fin.*

XLIV.

Quæ de numero testium dicta sunt, ea rum obtinent, quando de substantialibus testamenti quæstio est: Si vero de declaratione aliqua post testamentum facta quærat, *l. 21. §. fin. ff. de testam.* duos sufficere testes putamus cum Fabro *ad §. 5. Inst. de testam. n. 14.*

XLV.

Qualitas testium in eo versatur, ut sint bonæ & fidei & famæ, tales deniq; , quales in alijs actibus probationem tantum facere dicuntur: Quam qualitatem sufficere putamus in testibus inveniri, eo tempore, quo testamentum ordinatur, licet postea intestabiles fortè efficiantur: conditionem enim testium inspicere debere cum signarent, nō mortis tempore, textus est *in l. 22. §. 1. ff. de testam. l. 1. C. eod.*

Qualitas.
Quod



Quod licet ad solam servilem notam restringat Azo in
summa C. de test. n. 16. nos tamen cum Fabro ad *§. 5. I. h. r.*
id ad quamlibet testium conditionem referri posse puta-
mus, quid enim peccavit, qui testamentum fecit, si illi testes,
quos eo tempore ut idoneos adhibuit, postea idonei esse desierunt
2. feud. 19. vide etiam Cujac. ad *l. 22. §. 1. ff. h. r.* Vigl. ad *§.*
7. I. eod. n. 4. & seqq. An autem valeat testamentum, si te-
stes habeantur pro idoneis tempore eo, quo adhibentur,
revera tamen tales non sint, vide *Tholos. lib. 42. syntag. c. 5. n.*
ult. XLVI.

Qui non
possint esse
testes,

Et quia expressas in jure habemus prohibitionum
causas, quibus nonnullorum personæ à testamentis te-
stimonio suo confirmandis, omninò arcentur, adscri-
bendas omninò putamus.

XLVII.

Impubes.
Furiosus.
Prodigus.
Surdus.
Cæcus.
Mutus,

Prohibentur itaq; quidem *naturâ*, quidam *lege*. *N A-*
TURA prohibentur *Don. 6. comm. c. 7.* qui vel id quod agi-
tur non intelligunt propter animi morbum aut ætatis in-
firmitatem, ut *Impubes, furiosus, prodigus*: vel quia sensu id
percipere non possunt, ut *surdus, cæcus*, vel quia id quod
perceperunt & intellexerunt eloqui & testari nō possunt,
ut *mutus*.

XLIIIX.

Peregrin.
Servi.

Herma-
phroditus,

LEGE prohibentur, quos justis de causis lex à testi-
monio arceat: Hos docendi causa ad 4. classes Dd. refe-
runt: primò *propter statum personæ*, ut illi qui non sunt ci-
ves Romani, *Servil. qui testamento 22. §. servus ff. h. r. l. in*
omnibus 135. de R. I. secundò *Ob sexum mulier l. 20. §. mu-*
lier ff. h. r. licet à Codicillis alijsq; contractibus & negoti-
is tanquam testis non arceatur *d. l. 20. rationem habet Ho-*
tom. 3. obs. 14. Conn. 9. comm. c. 3. n. 3. Hermaphroditus
an

an admitti possit, qualitas sexus incalescentis ostendet *l.*
si. ff. de testibus.

XLIX.

Tertiò ob delictum, & securam damnationem, ut qui pu-
blico iudicio damnati sunt, veluti repetundarum, *l. 20. §.*
s. de testam. l. 15. de testib. item qui ob crimen intestabiles
esse jubentur, *l. 15. §. ult. de testam. l. 16. carmen ff. de testibus*
de quibus supra. Quò pertinere videntur & illi, quibus bo-
nis interdictum est *l. fides ei. l. 18. ff. de testam. l. furiosi de R. I.*
l. 1. de cur. furiosi.

L.

Quartò illi quorum res potissimum & principaliter agitur,
nemo enim sibi & in propria causa testis idoneus *l. 10. C. de*
testibus. Hinc reprobatum testimonium domesticum,
id est, eorū qui in eadem domo & potestate sunt, non au- Domestici
tem qui ejusdem familiae & gentis sunt, *Vigl. ad §. 9. Inst.*
de testam. n. 4. 7. & 8. Rævard. lib. 2. var. lect. c. 8. Vult.
ad §. 2. I. de hered. qual. & diff. n. 2. Hinc qui sunt in pote-
state testatoris, aut eum in potestate habent, aut in ejus-
dem cum eo sunt potestate, testes in testamento esse ne-
queunt. Hinc filius emancipatus, frater, maritus, uxor,
ministri, testes esse non prohibentur.

L.I.

Eadem ratione heres, uti etiam illi, qui in ejus sunt Heres
potestate, vel eum in potestate habent, nequeunt esse te-
stes, in quo heres institutus est, *l. dictantibus C. de testam. l.*
20. eod. §. sed neq. I. eod.

L.II.

Legatarij vero & fideicommissarij, cum universi ju- Delegatariis
ris successores non sint, & à testamentis abesse vel adesse
præter ejus corruptionem possint, testes in testamento
esse non prohibentur *§. 11. I. de testam. l. si quis ita ff. de reb.*
l. si quis ita ff. de reb. dub.

C

*dub. l. 22. C. de testam. quod indistinctè tam de nuncupati-
vo quam scripto testamento, item sive de testamento sive
de legati causa agatur, accipiunt Dd. communiter, quos
sequitur Vigl. Fab. ad d. §. 11. l. h. 1. Mynsing. V Vesenb.
ibid. Conn. 9. comm. 3. n. 6. Donell. 6. comm. 7. in fine, de te-
stamento autem nuncupativo negat Duar. ff. de testam. cap.
de testib. in testamento idoneis.*

LIII.

Modus ad-
hibendi,

*Modus testium adhibendorum requirit I. ut adhibe-
antur rogati, id est, specialiter requisiti & admoniti, se ad
testamentum adhiberi, l. 21. §. pen. ff. h. 1. Clar. d. §. q. 58. n.
1. Cum in aliis negotiis id necessariò non requiratur, l. 11.
ff. de testibus II. ut testatorem non solùm audiant, sed præ-
sentem etiam videant, l. 9. C. de testam. adeoque si cortina
vel paries intermedius fuerit inter testatorem & testes,
non valebit testamentum Grass. §. testamentum q. 59. n. 4.
Clar. §. testam. 59. Hæc de primo capite, videlicet testi-
bus.*

LIV.

Actus te-
standi,

ACTVS TESTANDI includit, ut fiat testamentum
unico contextu id est, non intermixto actu alieno, seu ad
testamentum non pertinente, l. 21. §. ult. h. 1. l. 21. §. per
nuncup. C. eod. §. 3. l. eod. ne testator ad alia delapsus & te-
standi actu interrupto minus seriò eam rem agere, & ex
intervallo ad intermissam aliquantisper testationem re-
versus, eorum quæ prius acta fuerant, oblitus esse videre-
tur, arg. l. 28. C. de testam. Quid sit actus continuus expli-
cat, l. continuus de v. oblig.

LV.

*Quo tamen non excluduntur illi actus, qui necessi-
tatis causa, de quibus in l. 28. h. 1. aut ad abundantiam, ut
calefactio cere, Accurs. ad l. 21. §. ult. h. 1. adjiciuntur.*

LVI.

Cæterum an contractus in testamento celebrari possit, difficilimæ est quæstiones inter Dd. alijs indistinctè negantibus, alijs autem omnes contractus admittentibus, vide Vigl. *ad §. 8. I. de testam. Arum. disp. ad pand. 17. rh. 11.* ibidemq; allegat, Dauth. *de testam.* Nos eos contractus, qui cito expediri possunt, nec continuam testandi voluntatem interrumpunt, aliquo item modo ad testamentum pertinent, testamentum non vitiare putamus, *Gl. in l. 21. §. ult. ff. de testam. Duar. ff. de testam. cap. de nuncup. testamento. Conn. g. comm. 2. Goed. de contrab. & committ. stip. c. 4. in fine.*

LVII.

Nihil autem obest nocte vel die disposuisse, *l. ad testium §. posse, ff. h. t. l. non minorem. C. de transact.*

LIX.

Atq; hæc de ijs, quæ utriq; testamento communia sunt: Sequuntur ea quæ singulis specialiter conveniunt, & primò quidem testamento scripto, cujus formam describunt *Impp. in l. 21. C. de testam.*

LIX.

Ubi sciendum, quod non necesse sit, testamentum scriptum testibus patefieri, quia testator clausam & involutam scripturam potest offerre testibus, etiam ignorantibus quid in ea contineatur, & petere, ut subscribant & sigilla apponant, *l. 21. C. de testam.* quæ etiam causa est, cur tutius & utilius sit condere in scriptis testamentum, quam nuncupativum facere, licet hoc expeditius sit, illud majoris curæ & industriæ.

LX.

Primo itaq; testator ultimam suam voluntatem vel propria manu scribere, vel alij cuidam dictare debet, quo

Solennitates testamenti scripti.

tamen postremo casu testator ipse nomen heredis vel heredum ipse, vel in subscriptione, vel in quacunq; testamēti parte sua manu ponere, aut si ob morbi acerbicatem aut literarum imperitiam scribere non possit, coram testibus palam nuncupare debet, qui in subscriptionib⁹ suis id expriment, *l. 29. C. de testam.* Iure verò novissimo non minus heredis nomen, quam reliquæ testamenti partes, per alium scribi possunt, *Nov. 119. cap. 9. auth. & non observato C. d. r.* quo ipso jus constit. *l. 21. C. h. r.* immutatum.

LXI.

Nihil autem interest, testamentum fueritne scriptum in tabulis aut membranis, aut chartis papyraceis, aliave materia *§. nihil autem. I. de testam. l. 1. l. 4. de bon. poss. sec. tabul. l. 15. de testam.* aut quibus literis, dummodo notis non scribatur, *l. sed cum patrono 6. §. fin. de bon. poss. Nov. de testam. imperf. §. 1.* Nec refert quo idiomate fiat, *l. quoniam indignum l. 21. §. fin. C. de testam. l. 1. §. fin. de v. Oblig.*

LXXII.

Secundò Scripturam istam, vel suâ ipsius vel cuiuslibet alterius manu conscriptam, sive ea consignata ligatave sit, sive tantum clausa involuntaq; debet septem testibus idoneis & rogatis præsentibus offerre signandam & subscribendam, dummodo prius dixerit, testamentum quod offertur, suum esse, eiq; ipse etiam coram testibus sua manu in reliqua testamenti parte subscripserit, aut si ipse scribere nesciat, eius nomine octavus aliquis subscriptor: Quod si ipse tamen testator propria manu totum scripserit testamentum (quod propterea holographum appellatur) hac subscriptione non est opus, *l. cum antiquitas 28. §. ult. h. r.*

LXIII.

Tertiò testes omnes uno eodemq; tempore, nullo

cx.

extraneo actu interveniente, subscribere & signare testamentum debent, alio autem tempore scriptum esse testamentum nihil nocet, subscribere autem testes dicuntur quando chirographo proprio annotant, quis, cujus testamentum signaverit, *l. pen. de testam.* hac ut plurimum formulâ: *Ego N. vocatus & rogatus in testem, in testamentum N. quod hac scheda continetur, manu propria subscripsi, & tali signo signavi.*

LXIV.

Quartò subscriptionem sigillo confirmabunt: quæ duo *subscriptio* videlicet & *consignatio* adeò coniunctim requiruntur, ut si unum ex his deficiat, licet alterum adsit, tamen idem sit, ac si non adhibitus esset testis, *l. 22. §. si quis ff. h. r.* consignatio enim ideo requiritur, ut testamentum semel signatum aperiri & resignari nequeat, antequam testes conveniant, sigillaq; sua inspiciant & recognoscant, *l. 4. l. 6. l. 7. ff. quemadmodum testam. aperiantur.*

LXV.

Atq; hæc est causa, cur, licet in alijs negotijs, in quibus ut sigillo plena fides adhibeatur, necesse est, sigillum continere imaginem & nomen ejus, qui eo utitur, *c. inter dilectos X. de fid. instrum.* hic tamen id usq; adeò non requiratur, ut etiam alieno annulo, imò etiam eo, qui est ipsius testatoris, signare testes possint, imò omnes uno annulo, *l. 22. §. 3. ff. de testam. §. s. Inst. eod.* utrum vero si quis alieno usus fuerit annulo, ejus in subscriptione mentionem facere debeat, vide Fabr. *ad §. s. l. h. r.*

LXVI.

Annulo tamen signatorio, seu *χαρκτηρα* & sculpturam habente, non quovis impresso seu signo, testes signare debent, *l. 22. §. s. ff. de testam.* quod nemini mirum videri debet, præterquam enim quod scrupulosa fuerit &

subtilissima Romanis testamentaria solennitas, etiam utile visum est, annulo potius quam alio signo fieri consignationem, ut facilius esset probatio, si quando characteris fides in dubium vocetur: notior enim amicis est character annuli testatoris, qui in digitis gestari solet, atque ideo recognosci potest facile, *verba sunt Duareni ad tit. ff. qui testam. fac. poss. cap. de testam. in script. in fine.*

LXVII.

Solennitates testamenti nuncupativi.

In nuncupativo testamento hæc præter generalia supra enarrata requiruntur: Ut testator coram septem testibus, rogatis & simul collectis, ultimam suam voluntatē declaret, & heredes nuncupet palam, id est, ut à testibus exaudiri possit, *l. 21. §. per nuncupationem C. de testam. l. 21. §. ult. ff. eod.* nec sufficit, ut testes exaudiant testatorem, sed requiritur insuper ut sermonem ejus intelligant *l. 209. de V. S.*

LXIIII.

Scribuntur quoque istæ voluntates nuncupatoriæ, non quidem pro necessaria solennitate, sed ad probationem & fidem diuturniorem ut alii actus legitimi, *l. contrahitur ff. de pignoribus.* Atque hæc de testamentorum solennitatibus pro instituti nostri ratione dixisse sufficiant.



πύργου



Π Α Ρ Ε Ρ Γ Α

- I. *possessio sine corporali apprehensione, ipso iure statim à morte patris in suos heredes non continuatur.*
- II. *Feudum à filio familias acquiri posse, inter Dd. nullum est dubium. S. onsb. de feud. p. 7. n. 6. Verùm nū filio investito, in huiusmodi feudo usufructus patri, perinde atq; in adventitiis bonis, acquiratur inter Dd. quæritur? Nos Negativam amplectimur.*
- III. *Investiturâ acquiritur dominium rei feudalis.*
- IV. *Firmissima iuris civilis regula: Ex pacto actionem non oriri, sed solummodo exceptionem competere: Id num iure Canonico immutatum sit, adeoq; discrepantia quædam hoc in casu inter ius Civile & Canonicum, quæritur inter Dd. Nos dispositionem iuris civilis à Canonibus non immutatam, sed idem illud cum iure civili sentire, hæc vice statuimus.*
- V. *Omnem creaturam, omnemq; terrenam potestatem, atq; adeo etiam ipsum Imperatorem Romanum, subesse Romano Pontifici, ita ut id credere sit de necessitate salutis, c. i. Extrav. commun. de majorit. & obœdient. absurdum putamus.*

F I N I S.





Helmstedt, Diss; 1622-36

ULB Halle 3
004 548 183





f

Sb.

VDA7







6555

DISPUTATIO IURIDICA
De
TESTAMENTIS
ORDINANDIS.

1623/4
8.10

Quam,
Deo Opt. Max. feliciter an-
nuente.

PRAESIDE
Viro Clarissimo,
DN. IOANNE Schwarzkopff
I. U. D.

13/

EXERCITII GRATIA
PUBLICE
defendendam proponit
IOHANNES Bökell VVolfferb.

Habebitur disputatio
In novo Iuléo
Ad diem ~~novembrii~~ *X. maij*
horis matutinis.



HELMAESTADI,
Typis heredum IACOBI LUCI,
Anno clō 16c XXIII.

*Profr: atq. Gratias: Dm. A.
ben J. v. C. amicus ac frater meus In*

